



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1764**

**VD18 90118049**

§. 12. Concilium Conacense.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66268)

## §. XII.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1238.*Concilium Conacense.*

Hoc anno 1238 die Lunæ post octavam Paschatis, nempe 12. Aprilis Geraldus Malemortius Archiepiscopus Burdigalensis cum Episcopis sibi obnoxiiis Conacensi concilium habuit. Promulgabantur octo & triginta canones de instauranda disciplina, ubi, sicut in plerisque ejusdem sæculi conciliis, apparet litigandi libido, tunc in Clero regnans. Adhibebantur falsæ litteræ: eadem pars iisdem de causis ad diversos Judices deferrebat: Clerici recipiebant cessiones litium, ut has ad tribunal Ecclesiasticum traherent. Quidam se falso dicebant Judices delegatos, vel pro delegatis substitutos, & partibus ad se accitis commissam sibi jurisdictionem monstrare haud poterant. Alii jus novum prensabant per litteras alia prius occasione obtentas. Nonnulli Judices deserti vadimonii damnabant illos, quos in jus vocatos esse non constabat. Vicissim laici ad tribunal profanum Clericos interdum adigebant sub obtentu sponsonis, cautionis, spoliationis, vel actionis mutuæ. His cunctis fraudibus concilium generalia opponit anathemata.

to. XI. p. 556

c. 1.

c. 2.

c. 6.

c. 11.

Fun-



Sæcul. XIII.

A. C. 1238.

- c. 13. Functiones Advocatorum Procuratorumque præterquam gratuitas pro Ecclesiis ac miseris hominibus interdicit Sacerdotibus, non item reliquis Clericis, quia soli tunc ad hæc munia habiles erant: monachis vero & Canonicis Regularibus ea vult esse vetita, & plures errores in eorum asceteria introductos tolli jubet. Victus iisdem ac vestitus suus in pecunia dabatur; id quod dominii approbationem præferebat: non reddebatur ratio proventuum monasterii, nec clausæ tenebantur portæ: fratres sine Superiorum permisso egressi, in oppidis & pagis comedebant, ubi commorantes sese abdiderant. Habebant peculium tanquam proprium, mutuam suo nomine sumebant pecuniam, atque prædes fiebant. Vesciebantur carnibus apud homines profanos: suscipiebant paroecias, & soli suis in prioratibus manebant. Hæc errata omnia condemnat concilium, & prohibet, ne novæ domus Religiosæ erigantur, vel sodalitates laicorum instituatur sine consensu Episcopi.
- c. 3. Coërcet etiam vexationes laicorum, qui pecunias exigebant ab Ecclesiis, cœnobiis, vel domibus hospitalibus, & ibi per vim sub obtentu hospitalitatis habitabant. Quidam Ecclesiasticos comprehensos crudeliter habebant, grande his redemptionis pretium extorturi: & concilium
- c. 12.
- c. 20.
- c. 21.
- c. 22.
- c. 24. 27.
- c. 28.
29. 30.
- c. 33.
- 31.
- c. 19.



cilium mandat, ut illorum filii ad tertiam Sæcul. XIII.  
 usque generationem nec ad beneficia, A.C. 1238.  
 nec ad sacros Ordines admittantur. Præ-  
 cipit quoque, ut ii Domini, qui per anni  
 spatium in anathemate permanferint, re-  
 nuncientur hæretici, eorumque bona fi-  
 sco addicantur.

c. 17.

## §. XII.

*Instauratio disciplinae monasticæ.*

In Anglia etiam Otto Legatus monachis  
 e solutiore disciplina veterem ad san- Matth. Par.  
 ctimoniam revocandis studebat. Cun- p. 401.  
 ctos Abbates Ordinis nigri, scilicet S. Be-  
 nedicti Londinum petere, ibique in tem-  
 plo S. Martini audire decreta iussit a  
 Summo Pontifice post maturam delibe-  
 rationem ad instaurandum Ordinem mo-  
 nasticum facta. Inhibebant eosdem er-  
 rores, quos Concilium Conacense damna-  
 vit, & insuper continebant ea, quæ se-  
 quuntur. Nemo deinceps admittetur ad  
 professionem ante vigesimum ætatis an-  
 num completum, nec ad sacrum tiroci-  
 nium ante decimum nonum. Post an-  
 num probationis novitius quamprimum  
 vota nuncupabit, aut dimittetur; sin mi-  
 nus, professis annumerabitur. Pro ad-  
 missione nihil exigetur, nec ulla pactio  
 fiet. Rei œconomicæ curatores admi-  
 nistrationis suæ rationem Superiori sal-  
 tem